

Bibliothèque numérique

medic@

Géraud, Mathieu - candidat /
Montaigu, Louis-Cyprien de -
président / Farcy, Dominique de. -
Est-ne foemina viro salacior ?

1783.

*Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°89*



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0089

230 89
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis quartâ
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXIII.* 1783

M^o. LUDOVICO CYPRIANO DE MONTAIGU, Doctore
Medico, Præside.

Est-ne fœmina viro salacior?

I.

CÆCUS est, qui virum & mulierem ejusdem naturæ participes esse non deprehendit. Cœcior adhuc multò, qui quantum inter se differant non animadvertit. Præ cæteris animantibus formâ conspicuus est homo. In illius tamen formâ dignitas inest, in hujus venustas. Decora utriusque species est. Mascula quidem formosa & illustris; verum fœminea cum quadam coloris suavitate affusam habet oculis & emicantem in ore toto gratiam, quæ perstringit simul & invitat aspectus. Conferatur virile corpus muliebri; longè procerius reperietur; quidni & robustius? Quod rigidioribus ossibus est innixum, valentioribus & strictioribus articulis firmatum, carne coagmentatum compactiori; validioribusque fibris & tendinibus cancellatim reticulatâ. Dispari quoque temperie gaudent. Quæ maris est, ignem & terram redolet; quæ fœminæ, aërem & aquam: hinc ille calidior & siccior; hæc frigidior & humidior: ille rudi & aspero contactu;

* Propugnata anno 1669, die Jovis 18 Februarii Præside M. Dominice DE FARCY.

E



hæc blando, leni, lævique & æquabili. Per patentem cutis illius poros nonnisi acia & mordacia erumpunt; hujus blanda & suavia: illius caloris acrimonia tangentem ferit; hujus lenitas demulcet.

I I.

MAGNUM est inter plantas (& si vis metalla & lapides) ratione sexus discrimen. Majus inter animantes. Primum nonnisi peritioribus agricolis & metallicis planum. Alterum non cuilibet primâ fronte pervium: sed ut dignoscatur, investigatione indiget. Ultimum sese ultrò oggerit: adeo vultu dissimiles sunt vir & mulier; status corporis in utroque dispares; partium genitalium structura alia atque alia. Fabula est, Androgynum dari ex tam dissimilibus conflatum. Illusio, Hermaphroditam, fulcum & vomerem habere ad arandum aptum. Commentum, mulieres in mares converti. Inscitia, asserere generationis instrumenta naturâ eadem, situ diversa. Nonnisi ab his quæ prorsus aliena sunt, quæque aliter & aliter esse non possunt, pendet sexus. Hinc naturâ etiam ipsâ jubente, in tam contraria studia scinditur vir & mulier, ut alter laborare exoptet, altera recuset, alteri continuò intestina crepent, nulla crepitent alteri: non dubitet alter committere se periculo mortis, altera reformidet.

I I I.

SALACIUM fatum est, inclinatione voluntatis propendere in venerem. Vis & facultas, posse occasione datâ citius, frequentius, & cum minori detrimento Hymenem celebrare. Prærogativâ, præstitutum tempus Clinopales antevertere. Privilegium, ex ipsâ luctatione amatoriâ majorem in animo lætitiâ, & suaviorem jucunditatis commotionem in corpore percipere. Ut eâ sit constitutione corporis homo, frustra artis & consuetudinis imploratur auxilium. Longè plurâ, eaque præstantiora quàm in hoc negotio utraque præstare

potest, requiruntur. Totum est hoc naturæ commissum officium; quæ sola novit modum, quo ea ex quibus constamus ita congruant inter se, ut adsit calida & humida corporis temperatio, salacitatis omnis inexhaustum penus; statura, contractam inter & extensam media; æstuantia calore generationis organa; intus potius recondita, quàm prominentia; foris generis omnis vasa, crebra, multaque intexta, non quidem flexuosa & intorta, sed recto tramite ducta, quæ tantum Aphrodisiasmum promovere valeant, quantum illa retardare.

I V.

RARA avis, frigida mulier. Frequens, vir veneris impotens. In promptu res est, à naturâ habet potiora (quibus caret hic) libidinis adjumenta. Corpus blando & halituoso calore perfusum, copiosi humoris foeturâ turgidum, multitudine cœcorum cutis spiraculorum non enervatum, ob proceritatem non elumbe; sed convenientissimo partium commensu vividum. In genitali mulieris arvo ardet continuò focus: cui temperando nedùm restringendo ni providisset natura, assiduo per circuitus redeunte sanguinis profluvio, brevi mediis inter ignes animam exhalaret: inter quos suis conceptaculis conclusus genitalis humor, adeò catullit, titillat, & prurit, ut nullo puncto temporis intermisso, vel invitas ad amplexus sollicitet: his celerius, frequentius, & cum minori virum jacturâ potituras, quantò paucioribus gyris & anfractibus intorta sunt ipsis vasa feminalia quàm viris; quibus diversi atque multiplices eorundem vasorum flexus & mæandri, validos contra libidinis impetus frænos injiciunt.

V.

OBSITAM sui mulierem facilius reperias, quàm salacitatis. Exlex est & ἀλογος in eâ libido quæ statim expleri cupit, nec patitur moras. Astryanassæ sunt, quarum lascivia novos concubitûs modos quotidie comminiscitur. Non desunt

& Messalinæ, quæ resupinæ jacentes absorptis multorum ictibus lassatæ quidem viris sed non satiatae recedunt. Nec infrequentes Dionysiæ, quarum in octavâ lascivia surgere messe cœperat, & dulces fingere nequitias. Inclamantes etiam sæpius audiuntur Quartillæ; Junonem meam iratam habeant, si unquam me meminerim virginem. Quid plura? Mulieribus datum genialibus in ludis amatoriâ voluptate dissolvi; negatum viris. Horum lætitiæ sequax est dolor, hæresque tristitiæ; illarum contra gaudiis, succedunt nova. Virorum statim tristis languescit amor; mulierum remissionis vix patiens flamma, veneris aliud undè continuò nutriatur pabulum semper arcessit vorax.

Est ergò fœmina viro salacior.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|--|---|--|
| <i>M. Phil.-Alexander BACHER.</i> | <i>M. Joannes - Jacobus NOLLAN.</i> | <i>M. Petr.-Josephus MACQUER,</i>
Regiæ Scientiarum Academiae Socius, in horto Chemiæ Professor, & Censor Regius. |
| <i>M. Cla.-Andreas GOURELLY,</i>
Rei Herbariæ Professor in Supremo Senatu Patronus. | <i>M. Benjam. - Michael SOLIER DE LA ROMILLAIS,</i> Pathologia Professor. | <i>M. Joanes - Maria - Franciscus LASSONE</i> Eques, Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Regis ab omnibus Consiliis; Archiatrorum comes; Serenissima Regiæ Medicus Primarius; & Regiæ Scientiarum Academia, Universitatis Medicinæ Mompeliensis Doctor aggregatus & honorarius, Regius Librorum Censor, &c. |
| <i>M. Antonius Laurentius DE JUSSIEU,</i> Eques, Regi à Consiliis & Secretis, Regiæ Scient. Academiae Socius, in horto Regiæ Botanices Professor & demonstrator. | <i>M. Claudius LAFISSE.</i> | <i>M. Petrus BERCHER,</i> Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Hispaniarum Infantis, dum viveret, necnon Regii exercitiis ad Infirnum Rheum in ultimo bello Medicus primarius. |

Proponebat Parisiis MATHÆUS GERAUD Claromontanus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1783. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1783.